

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

JOANNUS RÖMEL

Medicorum et Chirurgorum

Academiae Medico-Chirurgicae

Kalendis Augusti, hora post prae missa

EDINBURGH:

ACADEMICÆ LIBRARIAE & IMPRIMATÆ.

1811.

DSPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQU IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES ROBB,

Scotus,

SOCIET. MED. CHIR. LOND. SOCIUS.

————— *Foedissima ventris*

Proluvies.

VIRG.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

GULIELMO FERGUSSON, M. D.

SOC. REG. EDIN. SOC.

EXERCITUS BRITANNICI

NOSOCOMIORUM MILITARIUM

INSPECTORI,

HOCCE OPUSCULUM,

AMICITIAE ATQUE OBSERVANTIAE

ERGO,

D. D. D.QUE

JOANNES ROBB.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

MINI per plures jam annos apud exercitum Britannicum versanti, dysenteriam diversa admodum facie incedentem, nunc alia atque alia medendi ratione feliciter subactam, nunc omnes medicorum conatus superantem, videndi satis ampla oblata fuit facultas. Nil tamen ab aliorum experientia adeo alienum vidiisse mihi contigit, ut inde aliquid in medium proferendi occasionem lubens arriperem.

A

Porro, ab novis commentis ut abstinerem, acriter admonuere infelices et interdum pene ridiculi medicorum sibi ipsis nimis blandientium lapsus, quos, nescio quod grande professos, novandi studium, aut dirum istud atque insanabile scribendi cacoëthes illico in publicum detruserit. Ex horum tamen observatis temere factis sexcenta fidem derogant, et proinde dies vertens ea penitus delevit.

Ex aliorum itaque periculis probe edoctus sum, quam multa desiderentur ut hujusmodi observatis suus constet honos, suaque auctoritas; quandoquidem fere omnium natura, cum in aliis, tum maxime in rebus medicis, tam blanda sit conciliatrix et quasi sui lena.

Hujus morbi definitio a CULLENO illustr. prolata omnibus aliis praenitet: “Pyrexia contangiosa; dejectiones frequentes, mucosae vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis; tormina; tenesmus.”

HISTORIA MORBI.

Etsi nullum anni tempus, neque terrae regio homines a saevo hujus morbi impetu incolumes praestet; gravius tamen et simul frequentius eo conflictari solent, qui sub sole fervidiore quicquid duri habeant belli discrimina, coelive intemperies adire coguntur.

Dysenteria obrepente, modo certae hujus valetudinis notae jam inde a principio clare sese produnt; modo febrilia quaedam, crebri nempe horrores, frigoris sensus, languor, dorsi lumbrumque dolores, nausea, cibi fastidium, et materiae biliosae vomitus, aegrum per aliquod tempus male prius habeant, quam propria dysenteriae symptomata nos de mali natura certo admoneant.

Brevi tamen accedunt ventris tormenta, maxime circa umbilicum molesta, cum abdominis duritie, flatu, materiae biliosae vomitu, ac frequente desidendi cupiditate, quae nunc prorsus

DE DYSENTERIA.

inanis, mox quodvis mucosum, saepe pauxillo sanguinis admistum exprimit ; inde intestinorum torsiones brevi levantur, quae post paulo acerbius iterum redeuntes, dejectiones parcas, vix unquam sinceras, sollicitant ; hae, utcunque crebrae, rarissime desidendi desiderium explent.

Nonnunquam quae, ineunte morbo, primum egeruntur, haud multum a solitis alvi dejecti-
nibus abludunt, et diarrhoeae speciem satis men-
tiuntur. Multo autem frequentius alvus aut nil
stercoris dimittit, vel tantum massulas quasdam
induratas et subrotundas, scybala dictas, excer-
nit. Progrediente morbo, prout isti vani atque
inexplebiles conatus aegrum gravius exerceant,
assiduus et molestissimus urget tenesmus, taedii
plenus, una cum gravi ani dolore, et nonnun-
quam procidentia. Dejectiones magis magis-
que a natura alienae fiunt ; et simul cum liqui-
dioribus, mucosis, biliosis, cruentis, prodeunt
substantiae firmae atque concretae, sevum case-
umve specie reddentes ; nec raro membranacea
quaedam, a nonnullis ramenta intestinalium vi
morbi excussa falso habita, cum potius lymphae

effusae et densatae debeantur. Denique, foeda ventris proluvies, sanie atque pure commista, ex intestinis late exulceratis promanans, terrimum spirat odorem, et immanes, quos aeger pertulit, cruciatus nimis aperte declarat.

Dum tanti tumultus intestina adeo vehementes exagitant, non potest fieri quin totum corpus in morbi consensum rapiatur. Hinc sitis; sapor oris ingratus, plerumque amarus; lingua muco albo, flavo, tandem nigro obducta; summa inquietudo; nausea; vomitus; ciborum appetentia prorsus deleta. Nec unquam somnus, fassis his et miseris obrepens, ullam malorum requiem praebet.


Febris dysenteriae, saltem gravioris, fere semper comes, pro anni tempore, coeli tractu, loci natura, et aegri ipsius habitu alia est. Modo febris ardentior; modo typhodes; modo levis tantum febricula adest; vel demum remittens, et nonnunquam etiam intermittentis formam induit.

Morbo ad exitum funestum properante, omnia graviora symptomata jam descripta inten-

sius urgent ; ea, quae deponit alvus, intole-
randum odorem emitunt, et, aegro inscio, elab-
buntur ; dolores demum conquiescunt, cum in-
genti virium prostratione ; arteriarum pulsus
frequentes, exiles, et inaequales evadunt. His
accedunt sitis vix sedanda ; lingua nigra ; de-
glutiendi facultas impedita ; aphthae interdum
os et fauces obsidentes ; sudores gelidi, et mens
aberrans :—Haec omnia haud dubia mortis in-
stantis praenuntia habentur.

Est ubi dysenteria indolem multo magis be-
nignam prae se ferat ; symptomatis tantum le-
nioribus stipata, mitius decurrit, et sine ullo
periculo spatia conficit. Tormina et tenesmus
minus aegrum torquent. Alvi excreta, cum ra-
rius descendunt, tum minus a faecibus natura-
libus colore et odore recedunt, nec tam graves
cruciatus pariunt. Febris nulla, vel levis tan-
tum detinet ; nec adeo cibos aversantur aegri,
quin aliquod levius oblatum sine fastidio assu-
mant, nec crudum iterum reddunt. Hi, alvo
idoneis medicamentis leniter soluta, vel sudore
erumpente, facile ad sanitatem perducuntur.

Medentibus sese quotidie offerant exempla dysenteria laborantium, et maxime militum, in quibus morbus, etsi omnia atrociora morbi symptomata deposuerit, nequaquam in salutem cedit, sed pertinaciter corpori inhaerens insanabili alvi fluxu vires paulatim subruere perstat.



CADAVERUM INCISIO.

SECTIS cadaveribus eorum, quos abstulit dysenteria, multa et admodum diversa sese in conspectum dederunt; ita ut haud semper in prompta fuit discernere, quae hujusmodi morbida fortuito adessent, quae vinculo arctiore cum morbo conjungerentur; nullum enim est viscerum abdominis quin aliquando ejus saevitiam passum sit.

Patefacto abdome, intestina, maxime crassiora, nonnihil constricta, inflammationis vestigia fere semper produnt. Haec morbida intestinum colum atque rectum scrutantibus praeci-

pue obveniunt, quorum tunicae interiores effuso humore obductae, crassae, rubrae, flavae, interdum plane lividae vel nigrae reperiuntur. Nonnunquam facies eorum interna tuberculis huc illuc scatet, quae pustulorum speciem haud male repraesentant.

In plerisque eorum dysenteria peremptorum, quorum cadavera a medicis incisa fuere, et inde visa memoriae prodita, praeter inflammatio-
nis notas, nonnunquam ad intestina, minora us-
que porrectas, saepius vero intra coli rectique
limites circumscriptas, ulcera, erosiones, macu-
lae nigricantes, vel gangraena observata fuere.

Inflammatio in tunica intestinorum villosa maxime sedem figit, quae semper rubra, crassi-
or, inaequalis, huc illuc quasi protrusa reperi-
tur. In nonnullis, quos praeceps mali vis matu-
re rapuisset, nil praeter insolitum hujus tunicae
ruborem sese obtulit, sine ullis ulceribus, aut
gangraenae aut lymphae effusae indiciis. Me-
dici jecoris vitiatam structuram quoque rimati
sunt, quippe quibus morbum e bilis vitio origi-
nem saepe trahere persuasum fuit; et variae

hujus visceris duri, amplificati, lividi, gangraena etiam quasi affecti laesiones recensentur. Item bilis acris, nigrae, redundantis depravationes bene multae. Hujusmodi tamen vitia in plerisque exemplis nullum nexus necessarium cum dysenteria habuere.

DE CAUSIS.

QUIDAM homines prae caeteris dysenteriae proclives existunt; hi maxime quorum vires nimia fatigatione, excubiis, prava victus ratione, coelo fervidiore nonnihil resolutae fuere. Milites, dum stipendia merentur, multis ejusmodi causis assidue objiciuntur: non itaque mirum erit morbum suam tyrannidem apud castra potissimum exercere, ubi viri vigiliis exhausti, nec ullo idoneo, ut par est, cibi genere refecti, longis saepe necesse habeant contendere itineribus, coeli ardentis atque pestilentis vim simul saepe passi. Nec homines, modo ventriculi la-

trantis morsus sedent, quale cibi genus devo-
rent, quicquam pensi habent, sed omne, quod-
cunque iis forte oblatum fuerit, avide ingurgi-
tant; et ventriculum justo infirmorem, et in-
testina praeter consuetudinem mobilia crudis,
corruptis, immaturis summo cum damno one-
rant.

Hinc enim acida, acria, biliosa languidis ven-
triculi viribus haud, ut decet, subacta, ad intes-
tina perpetim devolvuntur. Quam gravem nox-
am cum universo corpori, tum maxime primis
viis hujusmodi causae inferre queant, nemo est,
quin facile agnoscat.

Notatu tamen dignum est, dysenteriam mili-
tibus recenter conscriptis, junioribus, vegetis,
et nuper ad regiones calidas advectis, ut haud
semel vidi, saepe vehementer incumbere, dum
veterani, et qui diutius in his locis versati fue-
re, prorsus incolumes evadunt. Ipsa enim mu-
tatio gravior iis, qui ei haud adhuc assueverint,
omnia corporis munera magis perturbare, ejus-
que vires vehementius convellere solet.

Sunt praeterea quaedam coeli constitutiones,

quae, ut dysenteria quibusdam prae aliis temporibus gravius saeviat, faciunt: hae maxime observantur autumno, ubi ferventior aestas praecesserit. Bene enim admonuit CELSUS, “Autumnale tempus et diutinis malis fatigatos, et ab aestate etiam proxima pressos interimit, et alios novis morbis conficit, et quosdam longissimis implicat.”

Inter causas quae ad hunc morbum concitandum valeant, primum locum jure merentur subitae et graves temporum vices, quae in regionibus calidioribus foecunda morborum parens existunt. Hinc cum nimios aestatis ardores tempestas pluviosa, aut solis radios aestuentes frigora nocturna exceperint, late vagantur morbi, pro diverso aëris vitio diversam sibi indolem attrahentes. Rectissime enim haec habet PRINGLE, cuius summa in his rebus auctoritas, “Great heats are never so much the immediate as the remoter cause of a general sickness.” Si his morborum causis, quas coeli intemperies invexerit, corporis vires inedia, assiduis vigiliis atque defatigationibus fractae ac-

cesserint, mala graviora inde plane sunt profluxura; hinc morbi castrenses, naturam magis malignam nacti, pessimis fere notis increbescunt.

Inter tot tantaque mala, cur dysenteria prae caeteris invalesceret, quaesiverunt medici, et complures ejus originem ex humoribus a corporis superficie intestina versus repulsis duxerunt. Inter effectus coeli fervidi manifestiores, qui maxime in nostros sensus incurruunt, exhalatio per cutem uberior prae primis observanda est. Si itaque ex imbribus, vestimentis madidis, vel aura nocturna liberius admissa frigus fuerit collectum, eo tempore quo summa cutis e calore praegresso valde esset irritabilis, et simul ingens humorum vis per ejus meatus jam laxos et hiantes excerneretur, magnos corporis tumultus inde esse orituros perspicuum erit; qui, seu propter materiam intus repulsam, sive ob consensum istum arctissimum quo cutis et intestina conso-
ciantur, dysenteriam saepe concitent. Inter partes enim tali consortio gaudentes, quodcun-

que unius actionem turbat, ut altera motus abnormes concipiatur, plerumque efficit.

Frigus per se dysenteriam raro movet, nisi corpus causis jam dictis ad eam concipiendam antea aptum fuerit; et CULLENUS, an unquam ad hunc morbum ciendum valeat, addubitab.

Sunt medici qui persuasum habent miasmata e locis palustribus orta ad dysenteriam excitandam valere, eo quod sub iisdem conditionibus et iisdem in locis una cum febribus intermittentibus saepe grassari videtur, aliis dysenteria aliis febre detentis. Multa tamen ne in hanc sententiam eamus obstant.

Nec magis forsan fidem merentur eorum observata, qui hunc morbum ad bilem vel praeter solitum acrem, vel uberius justo secretam retulerunt. Haec profecto bilis vitia saepe ex iisdem, quibus dysenteria, causis profluunt; nec facile quispiam dixerit, ex frigore in his terrae plagis suscepto, utrum cholera, diarrhoea biliosa, vel dysenteria sic insecurta. Quotidie tamen sese nobis offerunt exempla, in quibus bilis secretio praeter modum aucta, vel depravata,

subsit, quin illa hujus morbi indicia supervenerint.

Inter causas dysenteriae excitantes nonnulli cerevisiam male constitutam, fructus immaturos, et vina tenuiora, recentia, subacida, avidius assumpta, recensuerunt. Haec autem, utcunque ventriculi et intestinorum munera turbando ad dysenteriam proclivitatem adaugeant, vix, nisi aliae simul concurrent causae, ad eam movendam valeant. PRINGLE affirmat se vidisse homines ejusmodi fructibus affatim indulgentes a dysenteria prorsus incolumes, quos tamen brevi antea morbus iste graviter exercuerat; sed jam deferbuisset aestas, quando fructus iis libere atque impune erant concessi.

Superest et alia dysenteriae causa excitans, contagium nimirum, de quo pauca restant dicenda. De hoc, utpote hujus morbi causa, autores vetustiores uno fere ore consentiunt; adeo ut PRINGLE passim de eo loquitur, et CULLENUS tantum ei tribuit, ut in dysenteria definienda eam morbum contagiosum designavit. Tantum vero abest ut haec sententia, apud medi-

cos et quidem clarissimos olim recepta, ab ho-
diernis sit comprobata, quin omnia fere recen-
tiorum observata, in hanc rem saepe attente in-
stituta, ad eam subruendam tendant. In multis
enim exemplis, ubi aegri dysenteria laborantes
in iisdem valetudinariis frequentes decumbe-
rent, morbus cum famulis vel aliis in vicinio
positis nunquam communicari visus est.

Nec minus ad hoc pertinet, quod in classibus
socii navales, tempestate oborta, dum rebus
nauticis strenue dant operam, dysenteria saepe
corripiuntur; praecipue nautae humoris objecti,
qui vestimenta madida exuere non possunt;
sed vel excubias agunt imbribus et salso per-
fusi, vel brevem in lectulis carpunt somnum,
vestibus haud mutatis.

Asserere vix autem auderem, dysenteriam
nunquam, neque sub ullis conditionibus conta-
gione propagari; nec medicos summi nominis,
in hanc rem per annorum seriem attentos, ubi-
que falsos fuisse facile crederem; etsi tantum
abest ut hujus morbi sola causa excitans sit ha-
benda, quin potius ejus origo in plerisque ex-

emplis, etiam ubi more epidemico invalescens strages late ederet, ex alio fonte plane repeti queat. Nec mihi per plures annos inter hujusmodi aegrotantes satis exercitato ulla, quae morbi contagiosi fidem facerent, unquam sese obtulere. Quam difficile autem sit hanc quaestionem accurate statuere, satis superque monentites, nunquam forsan expedienda, quas medici, et sane solertissimi, super natura morborum contagiosa nuperis annis moverunt.

De causa hujus morbi proxima varie itidem disserunt auctores. Alii, inter quos SYDENHAMUS et HOFFMANUS, materiam quandam acrem in intestina depositam, eorumque motus abnormes carentem culparunt. Summus ille medicus HERBERDENUS, et auctor politissimus, parcus admodum hujusmodi disceptationum cultor, eandem sententiam professus est ; sic enim habet : “
“ gitanti itaque mihi de natura dysenteriae, vi-
“ sa est contineri in humoribus vitiosis inclina-
“ tis in intestina, quae inde vehementer pertur-
“ bata sunt, et in motus inordinatos conjecta,
“ sic ut intus laedentia exitum non habeant.”

Contra, CULLENUS illustr. omnia dysenteriae symptomata ex intestinis crassioribus spasmo praeter naturam constrictis deducere conatus est. Hinc, secundum ejus sententiam, ventris termina, faeces retentae, et molimina rectum versus propagata, quibus dejectiones crebrae et mucosae moventur.

Multa certe suadent quendam intestinorum spasmus in hoc morbo subesse. Haeret autem haec causa in ejus signis explicandis ; neque enim febris protinus ab initio instantis, neque speciei inflammatae atque erosae, quam intestina adeo constanter prae se ferunt, ullam rationem reddit.

His itaque perpensis, cl. DON. MONRO sententiae potius accederem, qui, multis incisis cavaribus, causam dysenteriae proximam ex quadam inflammatione erythematicis cognata, tunicam intestinalium mucosam obsidente, esse repetendam primus clare docuit.

PROGNOSIS.

Quo melius de hujus morbi eventu judicium feramus, ad aegri vires, aetatem, vivendi rationem, et signorum vehementiam sedulo erit respiciendum. Debiles, aetate proiectiores, vel quorum vires fatigatione, inedia, gravioribus animi motibus, vel corrupto coeli tractu antea fuerint convulsae, e dysenteria raro emergunt. Iis quoque haud leve minatur periculum, quos febris ab initio vehemens aut maligna non dimittit, quos importuna desidendi cupiditas perpetuo exercet; dum ea, quae alvo redduntur, a sanis dejectionibus maxime aliena, cruenta, graveolentia, sanie et carunculis commista observantur. Quodcunque intestinorum ulcus significat, jure terret; morbi enim immedicabilis fere indicium est. Malum quoque est, si, una cum intolerando ventris cruciatu, multum

simul turbantur ventriculi munera, et vomitus assiduus ne medicamenta ingesta retineantur obstat. Malum item, si quando alvus in eam infusa relabi sinat, aut arctissime clausa, iis aditum omnino deneget. Cum arteriarum ictus maxime debiles fiunt et inaequales; partes extremae frigent; dolores conquiescunt; quodcumque ex alvo descendit pessime foetens, aegro inscio, redditur; et mentis alienatio et singultus superveniunt, de aegro actum est.

Nec fere minus metuenda est ista dysenteria, quae, etsi hominem non celeriter rapiat, tamen in longum producta eum graviter vexare persistat, vires paulatim resolvens, tabem insanabilem tandem illatura. Symptomata jam recensisitis contraria morbi mitioris spem facere manifestum est.

MEDENDI RATIO.

NON aliis fere existit morbus qui medici auxilio promptius indigeat, aut in quo naturae conatus magis a scopo aberrant.

Consilia medendi postulant, ut alvum e faecibus et aliis acribus retentis quam primum exoneremus ; ut signis molestioribus subveniamus ; denique, ut totius corporis pariter ac intestinorum viribus morbo labefactatis prospiciamus.

In junioribus et robustis, quos implicat hic morbus, multis nominibus sese nobis commendat sanguinis detractio. Febris quoque natura, inflammationis indicia, necnon constitutio morbi epidemica, et anni tempus, sedulo sunt rescienda. Febris vero ardentior, arteriarum ictus duri atque frequentes, et tormina ventris graviora, tactu adaucta, ubicunque adfuerint,

sanguinem protinus esse mittendum plane monent: Quo tempestive misso, caetera remedia suos effectus promptius et jucundius edant. In hac tamen evacuatione instituenda semper providendum est ne vires, quae ad morbum oppugnandum superesse debent, temere dissipentur.

Cathartica in dysenteriae auxilium remedia promptissima jure habentur. Qualiscunque enim fuerit morbi causa, fieri non potest, quin res ex alvo excernendae praeter naturam detentae, et simul acrius factae, omnia morbi symptomata haud leviter exasperent. Alia purgantia aliis auctoribus, prout cuique cesserant, maxime placuere. Rheum, alvum ex irritantibus evacuandi consilio, PRINGELIO maxime arrisit. Pauca submuriatis hydrargyri grana cum hoc medicamento conjungere solebat, qua lenius simul ac efficacius suos effectus praestaret. CULLENUS, qui censem rheum propter vim, qua pollet, alvum astringendi, neutiquam aptum esse, quod dysenteria decumbentibus adhibeat, tartratem antimonii tantulis dosibus assump-

tum, ut alvum potius quam stomachum moveat, summis laudibus cumulat. Nec aliis diversi admodum generis catharticis sui desunt laudatores; quippe omnia, saltem mitiora, quae, ut alvus certo et leniter descendat, faciunt, optato exitu haud caruere. Prae caeteris autem salinorum invaluit usus; et, quantum mei ipsius et aliorum experientia didici, nil in hunc finem sulphati magnesiae praepollere censerem; quod de eo monet HEBERDENUS non semel expertus sum. “ Nullum,” inquit, “ medicamentum alvum promptius solvat. Cum quoque facultatem habeat aliquam componendi motus intestinorum perturbatos, tum rarissime nau seam et vomitum moveat.”

Cum nausea, flatus, et alia ventriculi male se habentis indicia, ineunte hoc morbo, et per ejus decursum, crebro adsint, medici quidam emeticorum usum magnopere commendant. Haec enim non solum stomachum ex acribus haud parum aliter nocituris liberant, sed simul humorum cursum ad superficiem potenter faciunt, sudoremque movent, nec raro alvum quoque

citant. Complures medici ipecacuanham propter hanc dysenteriae mitigandae, vel prorsus tollendae facultatem egregiis laudibus efferunt. Hujusmodi autem remediis haud aequa fidunt recentiores ; nec temere ad ea in regionibus calidioribus confugiendum, ubi ex statu ventriculi admodum irritabili vomitus semel motus molestissime saepe perstat, aegre postea cohendus.

Sunt qui praesidium maxime petunt ab iis remediis quae sudorem eliciunt, inter quos MosLEY eminet ; qui multis allatis argumentis hunc morbum e cutis halitu suppresso pendere contendit ; hoc itaque restituto, eum certo esse decessurum, commercii lege quo istae partes consociantur, prohibet. Porro, multa protulit exempla, in quibus, alvo prius soluta, hac medendi ratione feliciter usus est.

Non aliud est medicamentum quod dysentericis majorem certioremque opem afferre soleat, quam submurias hydrargyri cum opio conjunctus ; de summis cuius virtutibus omnes medici hodierni idem fere sentiunt ; nec immerito eam

concelebrant, modo ita detur ut salivam celeriter moveat. Hydrargyri praeparata, unguentum et submuriatem strenue adhibita, ita ut in totum corpus vires proprias exerceant, dysenteriam vetustam, omnibus aliis incassum tentatis, ad exitum felicem haud raro perducere dudum bene innotuit. Nuperius vero consilia morbi recentis sublevandi ejusdem remedii viribus inita sunt, et optimo quidem cum eventu; modo evacuationes idoneae, prout res postulaverit, fuerint praemissae. Dicitur praeterea eos, qui ope hujus medicinae prompte adhibitae a dysenteria assurgunt, morbo recidivo multo minus opportunos existere; quod certe, si revera ita se haberet, summi esset momenti, praecipue apud milites, qui saepe adeo tarde convalescunt, ut diu postea valetudine valde incommoda utantur, ad munia obeunda prorsus impotentes.

Ad opiata, tormina et spasmum levandi causa, vix unquam tuto decurritur, donec evacuationes alvum a materia peccante rite expurgaverint, et febris vis antea fuerit pacata; brevem enim et fallacem remissionem, qua haec dolores

consopiant, asperiora morbi symptomata cito insequuntur. In his vero exemplis fomenta abdomini admota aegro levamen haud mediocre saepe attulerunt. Eodem consilio emplastra vesicantia, et etiam hirudines haud sine commodo adhibita fuere. Enemata ex amylo, vel aliis mucilaginosis subter infusa, quibus tincturae opii pauxillum prius sit adjectum, tenesmum nonnunquam sedant.

Diaeta hic, perinde ac in aliis morbis qui febrem sibi comitem habeant, ex iis constare debet, quae mitissima sunt, et ventriculo imbecilli minime nociva. Hinc lac aqua probe dilutum, vel decocta ex hordeo aut oryza dysenteria laborantibus bene accommodata sunt. Postea jusculis e carne confectis, viribus morbo concussis melius consulitur.

Quod si morbus, etiamsi vim pristinam depo-
suerit, in longum tractus, et summa alvi levi-
tas cum crebris et male sanis dejectionibus ae-
grum moleste detineant, viresque paulatim de-
terant, alia prorsus medendi ratio est ineunda ;
tunc enim vino, opio et astringentibus est locus.

Summa proclivitas ad redeundum, qua infamis est dysenteria, satis admonent aegrum; ut subitas tempestatum vices sedulo devitet, contra frigora semet vestitu calidiore muniat, exercitationem sub aëre puro et sicco ad vires firmandas, et ad excretionem per cutem promovendam adhibeat ; neque ventriculi intestinorumve munera prava victus ratione perturbet.

FINIS.